



Per.
Lat
020

LATIN IFJÚSÁGI FOLYÓIRAT. LATEINISCHE JUGENDZEITSCHRIFT. REVUE LATINE DE LA JEUNESSE.

Administrator, ad quem pecuniae dirigantur: ALEXANDER REGÉNYI, Budapest, VII., Barcsay-u. 5. (tel: 142-215).


Moderator, ad quem manuscripta mittantur: I. WAGNER DR. Budapest, XI., Lágymányosi-utca 20. (telefon: 268-634).

Prodit Budapestini quotannis decies. Pretium subnotationis an. 1937-38. in Hungaria 3 pengoe, extra Hungariam 4 pengoe. Gyrus aerarii comparsorum postalis in Hungaria: 57.292. Subnotatores earum gentium, unde simplex pecuniarum transmissio impeditur, utantur schidulis «Coupon réponse international» appellatis, quarum si quis decem in epistola ad administratorem mittit, pretium annum solvit. Quinis exemplaribus sextum gratuito additur.

Hymnus Eucharisticus Internationalis.




1. Ex-sul-ta-te, quot-quot la-te Sparsi Christum cre-di-tis, Can-ti-cis-que col-lau-da-te



Tantum Regem de-bi-tis! O-ri-en-tis, oc-ci-den-tis Gen-tis ge-nu flec-ti-te,



Iu-bi-lo-que gra-tae mentis Laudes Christo nec-ti-te: Christe in hoc Sac-ra-men-to



Ca-ri-ta-tis vin-cu-lum, Tu-ae pa-cis tes-ta-men-to Corda iungas om-ni-um!

2. Nobis olim homo factus — Infans terram appulit,
Propter nos in crucem actus — Sese Patri obtulit.
Denuo nunc hic apparet, — Comes nostrae fit viae,
Pereuntes ut servaret — Formam sumpsit hostiae.
Christe in hoc Sacramento ...

Seda venti tu furorem, — Bella aufer tristia,
Tuum doce nos amorem, — Dulcis Eucharistia!
Christe in hoc Sacramento ...

3. Fratricidis ardent bellis — Huius gentes saeculi,
Odiorum heu procellis — Agitantur populi.

4. Poenitentes te rogamus, — Caritatis victima;
Ut te vere diligamus, — Move cordis intima.
Sacriligas, deprecamur, — Tolle undas criminum:
Expiati uniamur — Tibi, Centro Cordium!
Christe in hoc Sacramento ...

Hymnus Eucharisticus Hungaricus.

Convertit Vinc. Bors Szegedinensis.

Gloriam cantate cuncti, — Jesu Christi gloriam,
Collaudentque corda mundi — Domini victoriam!
Christus rursus venit comes — Nobis hic errantibus,
Quod dilexit et nos omnes, — Panis specie¹ (e)st abditus.
Christe, panis atque vini — Per speciem mundi rex:
Populos et gentes igni — Tui¹ amoris socies!

Homo factus est pro nobis — Sanguis eius effusus
Aliquand(o), in ligno crucis — Homines redempturus.
Nunc altaris in Golgota — Carus Sanguis en adest,
Agnus Dei est hostia, — Corpus Christi panis est.
Christe panis etc.

Ergo sonet hymnus noster — Per terras ac maria;
Domino amoris semper — Sit laus atque gloria.
Sit altare tota terra, — Flos fiat hic omne cor,
Psalmus omnis cantilena, — Fides sit turis odor!
Christe, panis etc.

Orba gens Stephani regis, — Caput et tu inclina,
Profer Ei¹ genibus fleas — Tua mala omnia!
Tuae spei¹ columna fortis — Annos mille crux erat,
Quae futuri melioris — Tui pignus maneat!
Christe, panis etc.

¹ Contrahe sic.: specje, Tuj, Ej, spej.



LECTARIUS MINIMIS.

Emerici epistola ad Guilelmum de
Budapestinensibus inscriptionibus
Latinis.

II. Inscriptiones statuārum:

1. in statuā veteris Hungarici rerum⁴⁵ scriptoris⁴⁵: ANONYMVS⁴⁶ GLORIOSISSIMI BELAE REGIS NOTARIVS⁴⁶; 2. in statuā Juliani et Gerardi⁴⁷, frātrum ordinis Paulini⁴⁸: FRATRES IULIANVS ET GERARDVS, EXPLORATORES⁴ MAGNAE HVNGARIAE 1235—1238; 3. in statuā pontificis⁵⁰ Innocentii⁵¹ XI-i: BVDAM VIRGINIS (Mariae) DABIT AVXILIVM⁵²; 4. inscriptiones statuae Francisci Rákóczi: CVM DEO PRO PATRIA ET LIBERTATE! RECRVDESCVNT⁵³ VVLNERA INCLYTAE GENTIS HVNGARIAE; 5. in statuā Iosephi palatini⁵⁴: IOSEPHO ARCHIDVCI AVSTRIAE, REGNI HVNGARIAE VLTRA L ANNOS PALATINO, PIA⁵⁵ MEMORIA⁵⁵ DICATVM⁵⁶ MDCCCLX; 6. in statuā Sanctae Trinitatis: DEVS, MISERERE⁵⁷ BVDENSIVM! 7. in monumento civium Universitatis Pázmányanae pro patriā 1914—1918. mortuorum: IVVENIBVS⁵⁸ ACADEMICIS⁵⁸ VIR-

TVTIS⁵⁹ AEMVLA⁵⁹ STATVIT⁶⁰ VIVA IVVENTVS ACADEMICA; 8. in tabulā⁶¹ memoriāli⁶¹ magistrorum mediarum scholarum, tempore belli mundāni occisōrum⁶²: DVLCE ET DECORVM EST PRO PATRIA MORI⁶³; 9. in aquis⁶⁴ salientibus⁶⁴ ad memoriā medicorum pro patriā mortuōrum in horto Clinicarum positis: VITAM IMPENDENTES⁶⁵ AD TVENDAM⁶⁶, VITAM SACRIFICANTES AD SERVANDAM VITAM ALIORVM.

III. Inscriptiones in pontibus:

1. in aditū catenārii⁶⁷ pontis⁶⁷ Széchenyiani (in insigni⁶⁸ capitis⁶⁹ et sēdis⁶⁹ regni nostri: SI DEVS PRO NOBIS, QVIS CONTRA NOS? 2. in aditū pontis Horthyani, in monumento navālis⁷⁰ exercitūs⁷⁰ ibi posito: NON OMNIS⁷¹ MORIARI⁷².

IV. Inscriptiones in coemeterio:

1. supra tumulum⁷³ professoris psychiatriae⁷⁴ (Moravcsik): ARS LONGA, VITA BREVIS; 2. iuxta⁷⁵ illum tumulum in latere⁷⁶ sarcophagi⁷⁶ ā quattuor viris portātī⁷⁷: PAX.

V. Ex inscriptionibus Aquinci:

inscriptio sarcophagi effossi: MARCO CALPVRNIO DECCIANO, NATIONE ITALO, MILITI LEGIONIS SECVNDAE ADIVTRICIS, QVI VIXIT⁷⁸ ANNIS VIGINTI QVATTVOR, MENSIBVS QVINQUE, DIEBVS TRIBVS, CALPVRNIVS EVTROPVS FRATRI PIENTISSIMO⁷⁹ (posuit).

Properans⁸⁰ haec scripsi. Tōta nostrā domus Tē salutāt. Parentibus Tuis honorātissimīs osculatiōnem⁸¹ dextrae⁸¹ indicō⁸². Adventum Tuum laetissime exspecto. Fidus amicus Tuus: Emericus. — Budapestinī, Calendīs Aprilibus anni MCMXXXVIII-i.

⁴⁵ történetíró = Geschichtsschreiber = historiographe
⁴⁶ névtelen jegyző = der anonyme Notar = chancelier anonyme
⁴⁷ Gellért = Gerhard = Gérard
⁴⁸ pálosrendi szerzetes = Pauliner = paulin
⁴⁹ felkutató = Ausforscher = explorateur
⁵⁰ pápa = Papst = pape
⁵¹ Ince = Innozenz = Innocent
⁵² segítség = die Hilfe = secours
⁵³ újra fölfakad = brechen abermals auf = se rouvrir
⁵⁴ nádor = der Palatin = palatin
⁵⁵ kegyeletes megemlékezés = pietätvolles Gedenken = pieuse mémoire
⁵⁶ szentel = widmen = dédier
⁵⁷ könyörtűj = erbarme dich = aie pitié
⁵⁸ egyetemi hallgatók = Universitätshörer = étudiants
⁵⁹ hősiességükkel fölvéve a versenyt = ihrem Heldentum nacheifernd = se proposant de rivaliser d'héroïsme avec...
⁶⁰ felállította = errichten = ériger
⁶¹ emléktábla = Gedenktafel = plaque commémorative
⁶² elesettek = die Gefallenen = tué à l'ennemi
⁶³ meghalni = sterben = mourir
⁶⁴ szökőkút = Springbrunnen = jet d'eau
⁶⁵ vmire áldozza = opfern = sacrifier
⁶⁶ megvéd = beschirmen = protéger
⁶⁷ lánchíd = Kettenbrücke = pont suspendu
⁶⁸ címer = Wappen = armoirie
⁶⁹ fő- és székváros = Haupt- u. Residenzstadt = capitale et résidence
⁷⁰ haditengerészet = Kriegsmarine = marine de guerre
⁷¹ egészen = ganz = entièrement
⁷² meghalok = (futurum) = sterben = mourir
⁷³ sír = das Grab = tombeau
⁷⁴ elmekörtan = Irrenheilkunde = psychiatrie
⁷⁵ mellett = neben = à côté de
⁷⁶ a kökoporsó oldalán = an der Seite des Steinsarges = sur le côté du sarcophage
⁷⁷ hord = tragen = porter
⁷⁸ él = leben = vivre
⁷⁹ szeretett = geliebt = aimé
⁸⁰ sietve = eilig = à la hâte
⁸¹ kézcsók = Handkuß = hommage
⁸² jelent = melden = j'envoie.

Dux¹ belli¹ astutus.²

Guilelmus primus, rex Borussorum pro sua consuetudine se³ a ducibus belli ad cenam invitari³ iubebat,³ quod illi semper magno sibi in honore⁴ posuerunt⁴ et omnia fecerunt, ut hospiti celsissimo ex omni parte satisfacerent. Aliquando autem ordo⁵ ducem belli senem difficilem⁶ morosumque⁶ vocavit,⁵ qui avaritiā notus officium sibi et molestum et sumptuosum⁷ omni modo recusare voluit. Rex, qui avaritiam eius non⁸ ignoravit,⁸ omnes excusationes neglexit et cum ille ut gravissimam excusationem proferret se caelibem⁹ rem familiarem¹⁰ non administrare¹⁰, rex permisit, ut cenam in aliqua caupona¹¹ pararet. Duci belli nihil aliud restabat quam consentire. Rex magno cum comitatu affuit et epulis¹² valde contentus erat, quia e culinā¹³ et cellā omnia, quae delicata et pretiosa erant, apposita sunt. Post cenam dux belli cauponem¹⁴ ad se vocavit et magnā voce, ut omnes praesentes audire possent, interrogavit pretium¹⁵ cenae¹⁵ unius. «Thalerus» — dixit caupo. — «Esto!» — respondit ille — «en habes unum pro Sua Maestate et alterum pro me et vos ceteri domini, quos ego non invitavi, id¹⁶ amabo,¹⁶ pro se quisque solveat!» Rex suaviter risit astutiam legati et sumptus¹⁷ cenae comitatus sui fecit.¹⁷

Francisca Sole disc. Kaposvariensis.

¹ tábornok = General = général ² ravasz = schlau = rusé ³ magát meghívátja = sich einladen lassen = se faire inviter ⁴ kitüntetésnek tekint = zu hoher Ehre anrechnen = y voir un grand honneur ⁵ sor kerül = die Reihe kommt = le tour vient ⁶ zsembelődő = griesgrämig = grognon ⁷ költséges = kostspielig = coûteux ⁸ jól ismer = recht wohl kennen = bien connaître ⁹ agglégény = Junggeselle = célibataire ¹⁰ háztartást vezet = Haushalt führen = ne pas avoir de ménage ¹¹ vendéglő = Gasthof = restaurant ¹² lakoma = Festmahl = festin, banquet ¹³ konyha = Küche = cuisine ¹⁴ vendéglős = Wirt = restaurateur, hôte ¹⁵ egy teríték ára = der Preis eines Gedeckes = prix du couvert ¹⁶ lesznek szívesek = werden die Güte haben = avoir la bonté ¹⁷ a számlát kifizeti = die Zeche bezahlen = payer la note



Novum genus pedifollii¹ in oppido Fürstenfeld a siphonariis² inventum est. Non pedibus, sed radiis³ aquae³ siphonum follem huc et illuc agentes tandem caterva fabricae tabaci ut sunt 3:1 portam assecuti vicerunt adversarios.

¹ labdarúgás = Fußball = football ² tűzoltó = Feuerwehrmann = pompier ³ vízszugár = Wasserstrahl = jet d'eau

Iocosa.

1. *Qualis interrogatio, tale responsum.* — Cur pisces muti¹ sunt? — Num tu, amice, loqui sub aqua potes?

2. *Pater et filius in monte ambulantes.* Pater: — Videsne, mi fili, urbem pulcherrimam sub monte sitam?² Filius: — Video, sed si urbs, quae est infra, monte pulchrior est, cur ascendimus montem?

3. *Historia naturalis.*³ — Camelopardalis⁴ est animal, quod ante celerius crescit, quam pone.⁵ *Ioannes Zágon disc. gymn. Archiepisc. Budapestinensis.*

4. Cingarus quidam algebat atque esuriebat.⁶ «Quid mälis, cingare, — interrogabatur — edere, aut corpus calefacere?» — Maxime velim — respondit ille astutus⁷ — lardum⁸ torrere!⁸

5. Director (ad discipulum daucum⁹ sativum⁹ extrahere conantem): «Quid facis, mi fili?» — «Ego... ego... radicem¹⁰ traho¹⁰ — respondit puer territus.

Stephanus Fricker disc. gymn., Dombovariensis.

¹ néma = stumm = muet ² fekvő = gelegen = situé ³ természetrajz = Naturgeschichte = histoire naturelle ⁴ zsiráf = Giraffe = girafe ⁵ hátul = hinten = derrière ⁶ éhezni = hungern = avoir faim ⁷ ravasz = schlau = rusé ⁸ szalonnát pirit = Speck rösten — rôtir du lard ⁹ sárgarépa = Mohrrübe = carotte ¹⁰ gyököt von = Wurzel ziehen = extraire une racine



6. Quidam mercator ad mercatum calvas¹¹ detulit. Cum exposuisset illas: «Hae erant — inquit — calvae hominum clarissimorum.» Unus emptorum interrogavit mercatorem: «Quis habebat hanc calvam?» Mercator respondit: «Hanc calvam Iulius Caesar habebat» — «Et haec parva calva cuius erat?» interrogavit denuo emptor. Mercator calvam spectans dixit: «Hanc calvam quoque Iulius Caesar habebat, dum adhuc parvus erat.»

Carolus Sass disc. gymn. Acad. Bp.

7. Mater interrogat filium: «Mi fili, non eras malus in schola?» — «Non, — dicit ille, — semper in angulo stabam.» *C. Konnert* disc. eiusdem gymn.

8. Viator in urbe Moscovia interrogat baiulum¹² in statione ferroviaria: «Quando proficiscitur tramen¹³ versus Vindobonam?» — Baiulus respondet: «Nescio, Domine. Non sum vates.»

A. Frigyes disc. eiusdem gymn.

9. Magister interrogat nebulonem: «Nomina mihi rem abstractam, quam non possumus capere!» Nebulo respondet: «Ferrum igneum.»

10. Magister interrogat nebulonem: «Dic mihi, habitentne in stellis homines?» Nebulo: «Habitant — inquit — nam vespere illuminatae sunt.»

A. Bors disc. eiusdem gymn.

11. Filius: «Pater, gaudeas! Compari tibi decem nummos.» — Pater: «Quo modo?» — Filius: «Tot nummos promisisti mihi, si in tentamine¹⁴ probabor.» *F. Kaveggia* disc. eiusdem gymn.

12. Nebulo interrogat patrem: «Pater, quomodo nominatur pater asini parvi?» — «Asinus magnus» — respondet pater mirans. — «Ergo cur me semper asinum parvum nominas?»

E. Boros disc. eiusdem gymn.


13. Cingarus a militibus stationariis¹⁵ capitur, nam furatus est. Milites stationarii in carcerem ducunt eum. Euntibus occurrit¹⁶ amicus. Ille interrogat cingarum: «Amice, quo vadis?» Cingarus respondet: «Eo venatum.»¹⁷ — «Ubi est telum?» — Cingarus monstrat milites stationarios et dicit: «Servi mei ferunt pone me!»

14. Nebulo testimonium malum tulit domum. Pater eius exclamat: «Hem... itaque denuo improbatus es»¹⁸. — «Ego equidem non sum in culpa,¹⁹ cum tot magistri fuerint contra unum discipulum!» *I. Ádám* disc. eiusdem gymn.

15. Rossini aequae crassus²⁰ homo ac clarus auctor musicus erat. Quem aliquando aestate in via ambulatam adulescens assidue²¹ subsequabatur. Rossini in alterum latum viae transiit, sed frustra, iuvenis huc quoque secutus est eum, dum artifex musicus indignabundus²²: «Quid tibi vis!» interrogavit. Cui ille: «Nihil, nisi in umbra tua ambulare opto.»

Ioannes Glancz disc. Scholarum Piarum Bp.

¹¹ koponya = Schädel = crâne ¹² hordár = Gepäckträger = facteur ¹³ vonat = Zug = train ¹⁴ a vizsgán átmegy = die Prüfung bestehen = passer l'examen ¹⁵ cendör = Gendarm = gendarme ¹⁶ találkozni = begegnen = rencontrer ¹⁷ vadászni = auf die Jagd = à la chasse ¹⁸ megbukik = durchfallen = échouer ¹⁹ nem tehetek róla = ich kann nichts dafür = ce n'est pas ma faute ²⁰ kövér. = dick = gros ²¹ folytonosan = fortwährend = assidüment ²² bosszúsan = unwillig = indigné.



LECTORIBUS MEDIIS

Johannes Peták asinum furatur.¹

Fabula *Victoris Rákosi*, Latine reddita a *Ios. Guelmino* Budapestinensi.

Apud rusticum quendam collocatus² eram. Et accidit, ut aliquando mane asinum suum furto¹ abactum¹ esse mihi enarraverit. Tristi vultu narravit rem nocte praeterita factam. «Defer³ rem ad custodes⁴ publicae⁴ securitatis!»⁴ persuadebam ei. Cum autem quamquam detulit, tamen totus mensis frustra praeterisset, homo probus rem diutius sine asino ferre non potuit, qua de causa dominicā⁵ insequenti in mercatu⁶ sibi asinum emendum esse constituit.

Et Iohannes dominicā illā iam ante lucem cum pera⁷ in collo ibi erat, ut asinum emeret. Et quamquam plurimi asini reperiebantur in mercatu, macerrimus⁸ quoque pluris habebatur, quam quantum pecuniae Johannes miser habuit. Tunc paululum recessit, conseditque in lapide opportuno, prompsit e pera panem et lardum,⁹ capsicumque¹⁰ recens et viride, et iucundissime vescebatur illis. Nec poculum vini ebibere omisit: asini autem non vendebantur minoris.¹¹ Tunc pipae¹² fumum¹² hausit¹², et post hoc etiam exspectavit, sed frustra: asinis minora pretia non constituta sunt. At sol iam occidere parabat, appropinquabatque nox. Et Iohannes Peták asinum nondum habuit.

Quam leviter accidit furi, ut asinum habeat — agitabat mente. Ei et pecunia remanet, et asinum habet. Si igitur magistratus asinum meum, qui furto abactus est, non possunt reddere et ego sine asino vivere non possum, neque pecuniā meā emere: tum ius optimum habeo alterum asinum furandi — philosophatur secum. Inter has cogitationes ingressus est viam ad vicum¹³ suum versus.

Eo ipso tempore etiam duo alii homines de mercatu lento gradu contendebant domum: Fratres Romos erant, Stephanus et Petrus, qui in urbe asinum emerunt, sed minime contenti clamabant inter se asinum istum nimis magno pretio emptum esse. «Quae tempora! — indignantur, — etiam asini multo constant.¹⁴» «Asinis...» addidit

¹ ellop = stehlen = voler ² elszállásol = einquartieren = loger ³ feljelent = angeben = dénoncer ⁴ cendör = Gendarm = gendarme ⁵ vásárnap = Sonntag = dimanche ⁶ vásár = Markt = marché ⁷ tarisznya = Ranzen = besace ⁸ sovány = mager = maigre ⁹ szalonna = Speck = lard ¹⁰ paprika = Paprika = piment ¹¹ olcsóbban = billiger = à meilleur marché ¹² elszívni egy pipa dohányt = die Pfeife zu Ende rauchen = fumer une pipe ¹³ falu = Dorf = village ¹⁴ kerül vmibe = kosten = coûter

alter. «Non tu licitabaris¹⁵ asinum?» — respondet alter. Sic pervenerant ad cauponam,¹⁶ quae prope viam¹⁷ stratam¹⁷ manebat de mercatu redeuntes, et sic ipsi quoque, ut maerorem temperarent, asino ad postem¹⁸ portae¹⁸ ligato deverterunt.¹⁹

Paulo post advenit eodem Iohannes quoque cum pera vacua in collo et cogitationibus insolitis²⁰ in mente. Ut aspexit asinum ad postem ligatum, caute adiit, solvit et cum illo abiit. Videtur autem suspicatus esse²¹ se non prorsus²² recte fecisse, nam decessit de via strata et magno utens circuitu,²³ secreto itinere tetendit domum. Et metu cruciabat, ne caperetur. Cum ergo feliciter domum venit, ante omnia asino novam speciem²⁴ laborans dare in lumine exiguo lampadis stabuli inlinere studebat bestiam infelicem, et partem noctis reliquam insomnem²⁵ egit²⁵.

Sed et Stephanus Petrusque Romos, qui in vico vicino habitabant, aegerrime tulerunt, quod asinus plurimo emptus furto abactus est. Statim igitur rem ad custodes publicae securitatis detulerunt. Et postquam hoc iam secundum furtum erat in vico, intra tempus breve, custodes publicae securitatis diligenter quaerere²⁶ coeperant in vicis et sic ad Iohannem Peták pervenerunt. Apud quem cum asinum quidem reperissent quendam, syngraphum²⁷ autem pecoris²⁷ nullum, rusticum oppressum²⁸ secum in curiam²⁹ traxerunt, ubi statim rem quaerere coeperant. «Vesterne est hic asinus?» — interrogat iudex fratres Romos.

— Noster sit, an non, iureiurando³⁰, non audeam confirmare, — respondet Stephanus Romos. Quasi non plane³¹ eundem habitum²⁴ haberet — addit Petrus.

Iudex autem vir expertus³² erat, iussit asinum a capite usque ad ungulas³³ lavari. Qui cum sic productus esset, sane nihil differebat ab asino ordinario et : «Nunc iam agnosco istum : noster est» — dixit Stephanus. — «Hoc etiam iureiurando confirmabo.» — addidit Petrus.

— Sed tunc periurabis³⁴ — exclamavit Peták. Eodem puncto³⁵ temporis iudex exsiluit, et : «Expectate parumper ! — dixit. — Ego optime novi asinum Iohannis Peták. Asinus eius in alvo³⁶ vestigium soleae³⁷ ferreae³⁷ habet. Equus meus — scilicet — quondam ei calcem³⁸ impegit³⁸ et asinus ex eo tempore eo loco pilos³⁹ non habet. — Perii — putabat in se Peták. Tunc iudex sese demisit,⁴⁰ ut videret notam in alvo asini. Et cum se erexit,⁴¹ «Hic asinus est⁴² Iohannis Peták — enuntiat. Habet notam.»

— Per se intelligitur, hic asinus meus est, — dixit Peták.

— Et cur non habes syngraphum pecoris? — interrogat iudex.

— Quia hic asinus furto abactus erat — respondit ille.

— Tu igitur tuum ipsius asinum emisti in mercatu?! Ha-ha-hae !

Et omnes ridebant. Dulcissimum autem Iohannes Peták, cuius animus et cor pondere gravissimo liberata sunt.


¹⁵ alkudni rája = um etwas feilschen = marchander

¹⁶ kocsmá = Wirtshaus = cabaret ¹⁷ országtút = Landstrasse = chaussée ¹⁸ kapufélfá = Türpfoste = montant de la porte ¹⁹ betérni = einkehren = entrer ²⁰ furcsa = seltsam = dröle ²¹ sejtteni = vermuten = se douter

²² teljesen = gänzlich = complètement ²³ kerülő = Umweg = détour ²⁴ külső = das Äußere = aspect ²⁵ álmatlanul tölteni = schlaflos hinbringen = passer une nuit blanche ²⁶ nyomozni = (gerichtlich) untersuchen = faire une enquête ²⁷ marhalevél = Viehpass = certificat d'origine du bétail ²⁸ meglep = überraschen = surprendre ²⁹ községháza = Gemeindehaus = mairie ³⁰ eskü = Eid = serment ³¹ teljesen = völlig = complètement ³² tapasztalt = erfahren = d'expérience ³³ pata = Huf = sabot ³⁴ hamisan esküszik = falsch schwören = commettre un parjure ³⁵ pillanat = Augenblick = instant ³⁶ has = Bauch = ventre ³⁷ patkó = Hufeisen = fer à cheval ³⁸ megrúgni = mit dem Fuße stoßen = donner un coup de pied ³⁹ szőr = Haar = poil ⁴⁰ lehajolni = sich niederbücken = se baisser ⁴¹ felemelkedni = sich erheben = se relever ⁴² tartozni vkihez = angehören = appartenir à



Si quis hanc imaginem parum accurate aspicit, primum praedam textis¹ araneis¹ captam esse credat. Tamen si quis diligentius observat, umbellam² pensilem² videbit, qua portatus aëronauta in terram descendit. Sed quomodo regio infra sita luce³ pingi³ potuit? Novum inventum hoc efficit.



Camera enim photographica in centro umbellae pensilis condita automaticè aëronautam de aëroplano desilientem terramque appropinquantem luce pingit.


¹ pókháló = Spinnengewebe = toile d'araignée ² ejtőernyő = Fallschirm = parachute ³ lefényképezni = photographieren = photographier

De Carolo Kisfaludy.

(Die natali eius CL recurrente.)

Scriptis C. Sebestyén, Latine reddidit: Vincentius Gombár
Balassagyarmatiensis.

Carolus Kisfaludy Nonis Febr. anno 1788. antiquissimo nobilissimoque genere natum esse quivis litterarum Hungaricarum vel mediocriter peritus haud ignorat. Filius erat cuiusdam superbissimi nobilissimique viri, qui se cum solo¹ patriae¹ artissimis vinculis coniunctum esse sensit.



Carolus Kisfaludy.

Frater Caroli maior natu erat Alexander, poeta ille celeberrimus, qui consuetudini² a maioribus traditae² ita adhaesit, ut ab ea nullo modo dimoveri posset. Alexander Kisfaludy defensor ac propugnator erat constitutionis³ nobilium eorumque privilegiorum ac legum praecipuarum nuntius maxime egregius. Carolus vero opinionibus atque eruditione Europae⁴ ad occidentem⁴ vergentis⁴ imbutus⁵ ad id omni studio incubuit, ut patriam suam inopem omnisque fere cultus et humanitatis expertem vere excoleret atque expoliret.

Iam ipsae nascendi conditiones tales erant, quibus Carolus a familia disjungeretur. Octo liberorum Carolus erat natu minimus. Natu eius vita matris, mulieris ingeniosissimae semperque hilarissimae⁶ extincta est. Ut hac in re plerumque fieri solet, pater implacabile⁷ odium suscepit in Carolum, qui coniugi amantissimae mortem intulisset. Ceterum pater senescens atque ipsa naturā dirus ac fere crudelis reliquos quoque liberos asperrime

habebat. Alexander, qui liberorum natu maximus erat, de asperitate patris querens: «Disciplinā patris asperrimā — inquit — nec pectora neque animi aperiri poterant. Perditissimus, nequissimus, improbissimus sunt illa attributa, quibus me pater ornare solebat». At Carolus, qui natu liberorum minimus erat, a patre non tantum verbis est castigatus, sed etiam saepissime virgis caesus.

Carolus, qui asperitatem patris ferre iam vix potuit, haud minimo perfusus est gaudio, cum anno aetatis suae undecimo Iaurini⁸ patribus Benedictinis traderetur erudiendus. Initio omnes res Caroli bene se habebant. At puerum severitatis Benedictinorum disciplinae brevissime taeduit. Cum vero atramentarium⁹ capiti¹⁰ cuiusdam magistri sui illisset,¹⁰ e gymnasio exclusus est. Carolus iussu patris militiae nomen dedit. Mox ut legionis 32. peditum signifer¹¹ in bello cum Napoleonte suscepto fortiter pugnabat. At a Francogallis capitur. Ex captivitate effugiens Budapestinum se confert, ubi iuvenis vix 21 annos natus succenturio¹² superior¹² renuntiatur.

Budapestini amore filiae viduae cuiusdam pauperrimae incensus est. Carolus puellam uxorem sibi ducere velit, quod ut iuvenis nondum¹³ sui¹³ iuris¹³ patre invito facere non potest. Ab omni spe destitutus et a propinquis repudiatus, ut victum aliquo modo quaerere posset, in Italiam, ubi pingere disceret, est profectus. Iuvenis pauperrimus omnia sua secum portabat. Anno 1817. Budapestinum redit. Apud sutorem¹⁴ quendam pauperimum conducit domicilium. Picturas¹⁵ aquarias¹⁵ pingit, quas sutor venditat. Si nemo, qui picturas emat, invenitur, Carolus unā cum sutore esurit. Fame fere confectus rebusque suis desperans sibi animum patris reconciliare voluit. At Carolus a patre repudiatus mox etiam hereditate exclusus est. Iuvenis calamitatibus obrutus fortunāque adversā conflictatus ad summam fere adductus est desperationem.

At fortuna Caroli repente commutatur. Carolus Kisfaludy iam centurio et pictor complura componebat poemata. Cognoscit principes litterarum Hungaricarum earumque paulatim reviscentium et mox princeps poetarum erit. Sunt, qui probent. at non desunt, qui improbent eius ingenium. Sed ludi¹⁶ eius scenici¹⁶, quos sibi ipsi quondam condebat, quosque nunquam editum iri sperabat, haud sine ulla spectatorum approbatione ac plausu in theatro eduntur.

Opus eius, quod «Tatari in Hungaria» inscribitur, clamorem et assensum in theatro excitat spectatorum. At non tantum componit, verum etiam vertit in sermonem Hungaricum ludos scenicos. Permultas deinde comœdias scribit ac tragoedias.

¹ honi föld = vaterländische Erde = le sol de la patrie ² hagyomány = Tradition = tradition ³ alkotmány = Verfassung = constitution ⁴ Nyugateurpa = Westeuropa = Europe Occidentale ⁵ eltelve = erfüllt = rempli ⁶ vidám = munter = gai ⁷ engesztelhetetlen = unversöhnlich = irréconciliable ⁸ Győr ⁹ tintatartó = Tintenfaß = encrier ¹⁰ fejéhez vág = an den Kopf schleudern = jeter à la tête ¹¹ zászlós = Fähnrich = porte-étendard ¹² főhadnagy = Oberleutnant = lieutenant ¹³ kiskorú = unmündig = mineur ¹⁴ cipész = Schuster = cordonnier ¹⁵ vízfestmény = Aquarell = aquarelle ¹⁶ színdarab = Schauspiel = pièce de théâtre



Cum amicis fastos litteratos «almanach» nominatos, qui Aurora inscribuntur, edit, quibus poëtas, ut vulgo dicitur, romanticismi in unam congreget societatem. Amicitiam coniungit cum Michaële Vörösmarty, Josepho Bajza et Francisco Toldy, quibuscum id maxime studet, ut Pestinum caput ac sedes sit litterarum earumque reviviscentium Hungaricarum. Haud minimi momenti esse duco Carolum Kisfaludy cum Stephano e comitibus Széchenyi amicitiam coniunxisse. Carolus Kisfaludy et Stephanus Széchenyi acta¹⁷ publica, quae «Aetas praesens» inscribuntur, instituunt, quibus populus de rebus publicis certior fieret. At — proh dolor — Carolus Kisfaludy, vir vix 42 annorum morbo gravissimo affectus immaturā morte exstinctus est. Ex illa amicitia permulta nata sunt consilia, quae diu post ab aliis sunt effecta.

A. d. XI. Cal. Dec. anno 1830. mortuus est Carolus Kisfaludy. «Nullius unquam viri mors — dicit Franciscus Toldy — tantum, quantum Caroli Kisfaludy urbi nostrae attulit luctum. Omnes homines interrogare videbantur: «Ubi huic viro parem inveniemus?» Antonius, cum de Caesare in foro laudationem haberet funebrem, haec interrogans fecit dicendi finem: «Hic Caesar erat, quando huius similis veniet?» Etiam Carolus Kisfaludy Caesar erat in suo ipsius regno, in regno litterarum Hungaricarum, quas ipse e somno excitavit.

Sex annis post (1836.) societas instituta est Kisfaludyana, quae suum¹⁸ esse ducit¹⁹ pietatem ac memoriam patroni sui ab oblivionis iniuria vindicare.

¹⁷ hírlap = Zeitung = journal ¹⁸ feladat = Aufgabe
= tâche ¹⁹ tart, vél = halten = considérer

De hilaritate risuque leni. (4)

Scriptis Carolus Puffy Huszár. Latine reddidit ex periodico «Új Idők» Aladarius Kővári Kaposvariensis.

Post has atrocitates, quae haud nisi pro aliquantula laetitia, pro parvo quodam subrisu fiunt, procuratores fabricae pellicularis¹ Americanae — cum pellicula primum devolvitur — in caveis² se collocant notantque quantopere animi spectatorum moveantur, exempli gratia: 3 : laetitia, 5 : balbutiae,³ 8 : hilaritas, 4 : subrisus, 11 : risus, 6 : cachinnus⁴ ex corde effusus. Ex his miseriarum laetitias, subrisibus, balbutiis, risibus, cachinnis conflantur gloria mercesque comici pellicularum Americanorum.

Quanti enim sint laetitia, subrisus, delectatio, verissime conspiciuntur ex pecuniis, quae pro eis solvuntur. Frustra accipiunt Greta Garbo vel Garry Cooper decies centena (1,000,000), ne adaequare quidem potest reditus⁵ cuiusquam eorum quaestum⁶ comicorum illorum Caroli Chaplin et Eduardi Cantor et Haroldi Lloyd et Stanii et Panokii florentium. Laetitia in delectando populo gemma⁶ illa pretiosissima⁶ pura et caerulea — id est pretium maximum — habetur, quam ille potissimum et facillime reperit, qui theatrum indigens plurimam inferat secum laetitiam.

Impudentia quoque laetitiae fons esse potest. Remigi⁷ per Danuvium mihi accidit, ut quidam

in una stationum navalium in Danuvium caderet. Fluctibus sublatus deorsumque⁸ raptus est. Puncto temporis ultimo e lintre parva spiritus⁹ iam angustus⁹ ducenti⁹ cingulum¹⁰ salvatorium¹⁰ adiicitur, quod ille comprehendit et quasi¹¹ spasmo¹¹ vexaretur,¹¹ complectens¹² tenet¹² Sedentes in lintre servandum nisu infando extrahunt ad se, qui nunc iam continuo ridebat. Aegerrime intra lintrem levatus interrogatur: «Ecquid perpetuo cachinnasti?» Qui: «Viso nisu vestro — inquit — id mihi semper in mentem venit, quam facile vos lintre excideretis, si funem remitterem.»

Exemplar hilaritatis classicum America est.



S. Ladislaus rex liberat virginem ab equite Cumano raptam (pinxit c. Kisfaludy).

Venientem in urbem tabula magna accipit: «Welcome! That's nice of you that you came! = Salve, pulchrum est te advenisse.» Relinquenti urbem in via transversum grandibus litteris hoc legitur: «Why leave? We love you! You'll come back anyway! = Cur nos relinquis? Amamus te! Non potes non redire!»

¹ film = Film = film, pellicule ² nézőtér = Zuschauer-
raum = salle ³ gögicselés = Lallen = gazouillis ⁴ hahota
= schallendes Gelächter = éclats de rire ⁵ jövedelem =
Einkommen = revenus ⁶ briliáns = Brillant = brillant
⁷ evezős = Ruderer = rameur ⁸ lefelé = abwärts = en
aval ⁹ fuldokol = schwer atmen = être près de se noyer
¹⁰ mentőöv = Rettungsgürtel = ceinture de sauvetage
¹¹ görcsösen = Krampfhaft = d'une main crispée¹²⁻¹³ bele-
kapaszkodik = sich anklammern = se cramponner

Custos¹⁴ publicus¹⁴ eum, qui celerius vehitur, annotaturus¹⁵ his vocibus retinet: «Well, brother! What's the hurry? = Age dic frater, quae sit causa festinandi?» Et annotat eum. Ille quidem notat, at iste multatur.¹⁶ Gratificatio¹⁷ tantum amictui est rem nequaquam attingenti, sed sic amara quasi in capsulis¹⁸ amylaceis¹⁸ mellitis praebentur, per quas levius demittantur.

Decalogus¹⁹ autistae Americani praescribit talia: Diligito automobile tuum eique parcito, quo diutius per hunc mundum vivat. Potius dimidio horae post pervenito eo, quo velis, quam horā prius in valetudinarium.²⁰

Ad hilaritatem exercitatione animi debemus possumusque nosmet ipsos educare, non vi, quem ad modum insularius²¹ meus Berolini voluit filium totum diem ita plorantem, ac si degluberetur²² et quirritatu totam domum perturbantem. «Dic, amabo, — allocutus sum insularium — quo morbo²³ hic puer laboret?»²³

— «Equidem nescio, — respondit, — iam ipse incertus sum, quid cum eo incipiam. In dies singulos decies quoque alapas²⁴ ei do tantas, ut oculi eius scintillas²⁵ mittant²⁵, sed neququam, eo ipso se risu cohibet et tantum plorat. Stomachum,²⁶ credo, mihi movere²⁶ vult.» Sic fatus rursus alapam ei duxit. Puer tunc — videlicet — eo magis ululavit. «Ecce, — inquit, — vides eum vehementius plorantem. Et utinam scirem, qua de causa!»

Modus scilicet movendae illius hilaritatis et festivitatis risusque ex animo eliciendi non hic est. *Finis.*

¹⁴ rendör = Schutzmann = agent de police ¹⁵ felir = aufschreiben = dresser un procès-verbal ¹⁶ megbüntet = strafen = mettre à la mende ¹⁷ kedvesség = Gefälligkeit = affabilité, gentillesse ¹⁸ ostya = Oblate = cachet ¹⁹ decem praecepta ²⁰ kórház = Krankenhaus = hôpital ²¹ házmester = Hausmeister = concierge ²² nyúz = schinden = écorcher ²³ mi baja van? = was fehlt ihm? = qu'est-ce qu'il a? ²⁴ pofon = Ohrfeige = gifle ²⁵ szikrázik = Funken sprühen = lancer des étincelles ²⁶ bosszantani = ärgern = agacer, embêter

J. Vajda: Viginti post annos...

(In memoriam Ginae.)

Latine reddidit: Steph. Boross Mezöturiensis.

*Velut in monte glacies
Nec uritur sole, vento,
Cor placidum iam non flagres,
Nec tangit perturbatio.*

*Circum stellarum milia
Cum nitent, student placere,
In caput sternunt lumina,
Nondum possum liquescere.*

*Quondam silentibus noctis
Somnianti, semper soli,
Ex lacubus iuventutis
Tu, ut cygnus, venis mihi.*

*Tum cor meum ardet flamma,
Ut hiberna nocte solet
Nix Montblancae perpetua,
Si oriens sol apparet.*




In Hispania nationalistae oppidis maritimis Tortosa et Vinaros captis hostes in duas partes divisos in dies magis magisque urgent. Quia Russi discordia civili retenti iam non satis auxilii mittere possunt aut audent, verisimile est nationalistas mox totā Hispaniā potituros esse.

Chamberlain primus¹ ministrorum¹ Britanniae sapientissimus vitia ministri rerum exterarum Eden, ex quo hic abdicare se magistratu coactus est, perbrevis tempore correxerit. Non solum cum Hibernis² foedus³ diu neglectum iterum iniit³, sed etiam cum Italia amicitiam pristinam renovavit atque etiam Galliae persuadet, ut idem faciat. Similiter Cescoslovacis amico⁴ animo⁴ praecipit⁴, ne diutius nationes minores opprimant, sed iura eis debita⁵ omnia dent.

Tabula mortuorum. Bartholomaeus Karlovszky pictor Hungariae clarissimus LXXX annum agens mortuus est. — Fedor Saliapin cantor⁶ vocis⁶ gravis⁶ ubique terrarum notissimus 65 annos natus Parisiis mortem obiit. Saliapin in urbe Russia Casan natus est. Pater eius pauper agricola erat, cuius filius primum artem⁷ sutrinam⁷, postea artem lignariorum⁷ didicit, deinde baiulus⁸ ad flumen Volgam «Ei uhnyem» cantans vitam inopem colebat,⁹ cum ab actoribus¹⁰ vagantibus¹⁰ vox magnifica cognita et finis miseriarum eius factus

¹ miniszterelnök = Ministerpräsident = président du conseil ² írek = die Iren = Irlandais ³ szövetségre lép = ein Bündnis eingehen = s'allier ⁴ barátilag tanácsol = den freundschaftlichen Rat erteilen = donner le conseil bienveillant ⁵ megillető = gebührend = dû ⁶ vulgo: baryton ⁷ cipész-, asztalosmesterség = Schuster-, Tischlerhandwerk = cordonnerie, menuiserie ⁸ teherhordó = Lastträger = porte-faix ⁹ tengődik = fristen = végéter ¹⁰ vándorszínész = fahrender Schauspieler = comédien ambulant



est. Ab Usatoff professore artem canendi doctus a. 1893 in oedeo¹¹ imperatorio Petropolitani primum in scenam adeundi potestatem accepit. Fama et mercedes eius etiam Carusonem adaequaverunt et saepe superaverunt. Bolsevistae, quamquam irascebantur cantori imperatorio, tamen iniuriam aut vim inferre ei non ausi sunt. Nunc summus artifex canendi, qui toties delectavisti nos canticis¹² Mephistophelis et Boris Godunovii etc., in aeternum vale! Vox tua in discis¹³ grammophoni¹³, quos radiophonice audiemus, non desinet vivere.


Finni magnis sollemnibus libertatem ante hos 20 annos recuperatam celebraverunt. Tum enim classis Germanica maris Baltici¹⁴ urbem Helsingforsam a Russis liberavit.

Canonizationes¹⁵ Romae nuntiantur. Tres sacerdotes ab Sua Sanctitate Summo Pontifice sanctorum ordinibus adscripti sunt: *Ioannes Leonardi* (1543—1609) Italus, *Salvator da Horta* (1513—1567) Hispanus et *Andreas Bobola* (1591—1657) Polonus, qui in fide catholica defendenda ab equitibus Russis (vulgo: Cosacis) crudeliter excruciatu est, dum moreretur. En cognoscite mores barbarorum, qui sacerdotem pium primum flagello¹⁶ clavis¹⁷ ferreis instructo caedebant, deinde caput eius ita percutiebant, ut calva¹⁸ infringeretur. Postea ad caudam equi ligatum ad lanium¹⁹ traxerunt, qui decidit misero aures, nasum, labium, manus, pedes. Tamen moriens Deum oravit, ut carnificibus²⁰ improbis ignosceret. Communistas hostes esse fidei Christianae quis miretur sciens Russos iam tum tales fuisse!

In Rumania libri²¹ funduales,²¹ quibus fines agrorum descripti continentur, nondum usitabantur. Nunc tandem usus horum librorum, quemadmodum in Transsylvania — quondam parte Hungariae — iam pridem notus erat, etiam ab Rumanis recipi nuntiatur.

Nuntii Eucharistici. Programma Congressus Eucharistici Budapestinensis: 25 dies m. Maii: Initium sollemne in Foro Heroum. — 26 Maii: mane: Missa et communio sancta omnis iuventutis ibidem, post meridiem: processio navalis inter ripas Danubii. — 27 Maii: communio sancta cohortium urbanarum Budapestinensium in Foro H. — 28 Maii: sacramentum media nocte a viris adoratur, missa et communio virorum eodem tempore in Foro H. — 29 Maii: mane: Missa sollemnis a Cardinale Pacelli legato Summi Pontificis celebrata et communio sancta in Foro H.; postmeridiem: processio eucharistica ab aede *Basilica* in Forum H. Conclusio sollemnis. — 30 Maii: Initium sollemnium noni centenarii Sancti Stephani regis.

¹¹ opera = Opernhaus = opéra ¹² aria = Arie = air ¹³ hanglemez = Schallplatte = disque ¹⁴ Keleti tenger = Ostsee = Mer Baltique ¹⁵ szentté avatás = Heilig-sprechung = canonisation ¹⁶ kancsuka = Knute = knout ¹⁷ szeg = Nagel = clou ¹⁸ koponya = Schadel = crâne ¹⁹ mészáros = Fleischer = boucher ²⁰ hóhér = Henker = bourreau ²¹ telekkönyv = Grundbuch = cadastre



Saliapin a. 1910.

Caesarem a Cicerone hospita- liter exceptum esse. (9)

Ad fabulam *Th. Birtii* latine libere tradidit *Aemilius Láng*
O. Praem. Keszthelyensis.

«Laute apud te vivitur,¹ — dixit Ciceroni mirabili continentia. — Aliquid tamen in sermone tuo desidero. Ciceronem esse virum facetissimum inter omnes constat. Egomet ipse facetiarum thesaurum² feci, quae Romae per omnium ora feruntur. Argutissime³ dicta nullo dubio tua sunt. In quibus diiudicandis acutas⁴ habeo aures⁴, facile igitur ex acumine agnosco, utrum tu sis auctor an non.» — Cicero prosiluit ab sede ac si inclinatione corporis vellet pro nova laude gratias referre. — «At quare hodie ipsum sales tuos non effundis?»

— Facetis uti tunc tantum solebam, cum irritatus irave incensus sum, — respondit Cicero. — Nam facetiae similes sum, — respondit Cicero. — Nam facetiae similes sum, — respondit Cicero. — Nam facetiae similes sum, — respondit Cicero. — Nam facetiae similes sum, — respondit Cicero.

— Pulchre! bene! recte! Hodie igitur ab omni parte serenitas est. Quod mihi gratum est. Nihil optabilius nobis, quam quod inter nos bene conveniat.⁵ Societas coniungenda est inter nos et cum

¹ jól élték = es lebt sich gut bei dir = vous vous la coulez douce ² gyűjtemény = Sammlung = recueil ³ szel-lemes = geistreich = spirituel ⁴ finom ítélőképesség = feine Beurteilungskraft = goût délicat ⁵ (személyt.) meg-egyezni = (unpers.) sich vereinbaren = être convenu

Bruto, qui iam puer mihi in oculis erat.⁶ Hic idem dignus est, quicum in tenebris mices.⁷ Multa secum reputat, dum consilium capiat, sed quod semel



Aedes «Basilica» unde processio Eucharistica proficiscetur.

statutum cum animo ac deliberatum habet, id perfecte peragit.

Oculi Bruti leni igni lucebant. Terentia expectatione erecta intuebatur illum. Qui tamen silebat. Caesar autem coepit omnia sua occulta vere aperire! — «Si trans mare hinc abibo, Brutum, cui maximam habeo fidem, Mediolani relinquam procuratorem. Qui mihi iam assensus est. Et si quid mihi acciderit . . . Adhuc integrā quidem aetate ac valetudine sum atque corpus est astrictum⁸ et lacertis⁸ expressum⁹ meque longissimam vitam esse victurum sentio, attamen — si . . . , quis tunc in locum meum heres succedat: M. Antonius an tu Brute? Equidem te malim.»

Brutus ardens exclamat: «Tum toto pectore iuberem⁹ vos macte⁹ libertate⁹ esse,⁹ Romani! Libertate enim magna est facta Roma.»

— Ipsum verbum libertatis, mi fili, — respondit Caesar, — est periculosum. Est enim multiplex in illo vis.¹⁰ Mallem igitur pro libertate ius dixisses.

— Quid iuris putas?

— Ius rationis et voluntatis.

— Ius humanitatis, — interfatur Cicero.

Brutus caput digito scalpebat.¹¹ Ius¹² de se statuendi,¹² voluit dicere, sed reticebat. In calice vini stupebat obtutuque in illo defixus haerebat. Quod Terentia animadvertens dixit: dormitasne Brute! Quo dicto exterritus est, quin Terentiam intelligeret. Tribus annis post intellexit tantum eius verba. Interim allatae sunt mensae¹³ sundae¹³: praeter diversa opera pistoria etiam

mitia poma omnis generis. Pocula denuo implentur. Puer dentiscalpia¹⁴ circumfert. Mamurra petulans canticum susurrabat Alexandrinum, cuius ad modos Caesar cantabundus capite nutabat. Ceteri in cogitatione defixi silebant Mensā remotā aderat puer, qui aquam rosatam in manus eorum fundebat et paulo post omnes soleas poscebant.

*

In horto iam accensae erant lucernae, quae multis ellychniis¹⁵ lumen in diversa spargebant simulque rarae ardebant taedae tremulā flammā collucentes. In abacis exposita cerneres vasa aspera¹⁶ bellariorum¹⁷ plena, quae convivae apophoreta¹⁸ sumere iussi sunt. Quae xenia¹⁹ in mappis alligata a servis domum referri moris erat. Sermones inter se serentium circuli fiunt. Caesar necopinato obviam habebat Terentiam, cui primo impulsu tergum vertebat, sed illa eum allocuta est: «Accipe, sodes,²⁰ hanc aeneam phialam pampinatam²¹, quae tibi monumento sit domus Ciceronis.»

— Benigne, sed si mihi optio dabitur, eligam magis fictilem catinum²² sigillatum.²²

Catinus, in quo imago Urbis atque figura Romae deae galeata loricateque erat expressa, dissiluit cum Caesar illum caperet atque dimidia eius, proh dolor, de manibus eius delapsa est. «Quod quidem minime est dolendum, — affirmabat Terentia; — hic enim est opusculum vetus et saepius resartum, quod iam pridem rimas²³ agebat.²³» Quibus dictis alteram quoque dimidiam solo afflixit. Ignis oculis caesiis²⁴ fulgurabat, cum diceret: Roma ad pedes tuos, Iuli Caesar, fracta iacet. Terentia quasi supersticiosā sollicitudine expectabat, utrum Caesar fragmina colligeret an non. Sed enim illius²⁵ non²⁵ erat²⁵ ob assem se demittere: nictabat tantum Aethiopi. Tum vero ipsa Terentia se demisit. Oculis trucibus atque minacibus perturbatum Caesarem paene transfixit et capite neglegenter inclinato, cum fracta Roma

⁶ szerettem = ich liebte ihn = je l'aimais ⁷ Micare est digitis ludere: Ex digitis repente porrectis alter ludentium numerum eorum divinat (kitalálai = erraten = deviner): quem ludum Itali nunc «fare alla mora» appellant. Inde «dignus quicum . . .» in proverbium venit de probissimo viro. ⁸ kemény (edzett) és izmos = stramm und muskulös = enduret et musclé ⁹ szerencsét kívánnék szabadságtokhoz = Glück auf! würde ich eurer Freiheit zurufen = «acclamerai votre liberté» ¹⁰ értelem, jelentés = Sinn, Bedeutung = sens, signification ¹¹ vakargat = krauen = gratter ¹² önrendelkezési jog = Selbstbestimmungsrecht = droit de libre disposition ¹³ csemege = Nachtisch = dessert ¹⁴ fogpiszkáló = Zahnstocher = cure-dents ¹⁵ lámpabél = Lampendocht = mèche de lampe ¹⁶ féldomborműves = halberhaben = en bas relief ¹⁷ csemege = Dessert = dragée ¹⁸ Fuerunt munuscula, quae imprimis Saturnalibus diebus atque festivo quodam convivio dabantur convivis domum asportanda. ¹⁹ vendégajándék = Gastgeschenk = cadeau offert aux convives ²⁰ ha úgy tetszik = wenn es gefällig ist = je t'en prie ²¹ szőlőlombos (domborművel diszített) = mit Weinranken (in halberhabener Arbeit) = décoré de pampres (en relief) ²² kis alakokkal ékesített tál = Schüssel mit kleinen Figuren verziert = plat orné de figurines ²³ megrepedni = Risse bekommen = se fêler ²⁴ kékesszürke = bläulichgrau = glauque ²⁵ nem volt szokása = er war nicht gewohnt = ce n'était pas son habitude de

discessit. Caesar abeuntem oculis mirantibus persecutus cachinnum edidit: «O ridiculum caput! Miserande Cicero; qui viginti annos cum hac excetra²⁶ matrimonio coniunctus vivas!»

*

Terentiae iam stabat sententia. Illa sola perpexit Caesarem. Brutus dormitat, murmurabat secum, maritus est vir animi imbecilli, ego autem sum inermis. At una tamen arma mihi praesto sunt: mihimet ipsi agendum est. Vestem mutavit, crines resolvit et cum Saura, maga illa famosa ex cenaculo arcessita et altera senica se subduxit in tugurium, in quo rheda Caesaris collocata fuit. Tugurium erat desertum obscurumque et sine ulla fenestris: auriga servique in cella familiarica potitabant. Terentia ipsa obdere foribus pessulum²⁷, anus accendere taedam et Saura Furiarum personam agens brachia circumdare viperis, execrari in caput Caesaris, invocare Hecaten, deam tripitem, evulsis ex solo aliquot lapidibus aram ponere.

Repente flamma in altum exsilit. Evolutus ex accenso sulphure pinguis fumus volat lividus²⁸ ad auras. Herbis male olentibus et amaris corticibus alit Saura ignem, cui praeterea ceram in rotam formatam, pennam noctuinam²⁹ et salamandram vivam iniecit. Furentes flammae subito ad tectum usque volvuntur. Frigidus horror Terentiae quatit membra spiritusque ei intercluditur. Saura arripit virgam divinam a ceteris quoque tactam, quam primum ustulata³⁰ magno cum crepitu mediam fregit. Exinde sublatis manibus horrendam voce praeit³¹ carmina, quae ceterae iisdem verbis repetunt; «Sabaoth, Sabaoth, Eicharoplex, Orebazarga, excito vos, umbrae infernae, ter invocamus vos vero nomine appellantes. Ut haec virga lignea manu mea fracta est, sic hodie vesperi ad pontem Lupinum inter praerupta haec reda in pusillas³² confringatur partes, item ille, qui curru insidebit, intereat membraque eius animam redditam frigore solvantur. Date, ut voto potiamur. Lao, lao, lasdao. Adiuro vos per Hecaten caeloque terrisque Ereboque potentem.»

Ter repetita incantatio;³³ vox mulierum primo depressa, et mox clarior facta sensim in ululatum vertitur. Ignis consumptus cum crepitu exstinguitur et repente fetore³⁴ impletur tugurium. Saura tabulam plumbeam, cui carmen inscripserat, ad redam clavem³⁵ affixit. Terentiam spectantem ingens horror perstrinxit. «Exspuite» — clamabat exinde maga, — «ter exspuite, ne ab umbris infernis apprehendamus.» Et omnes ter inspuerunt in sinum. (Finis sequetur.)

²⁶ kigyó = Schlange = serpent ²⁷ retesz = Riegel = verrou
²⁸ kékes = bläulich = bleuâtre ²⁹ bagoly = Uhu = hibou
³⁰ megperzsel = gesengt = roussir, brûler ³¹ a varázsigéket előremondani = vorsagen d. Zauberspruch = dire les formules magiques ³² apró = klein = petit, menu
³³ varázsszavak = Zauberformel = paroles magiques
³⁴ bűz = Gestank = puanteur ³⁵ szeg = Nagel = clou.

Dicta Nietzscheana.

1. Rationes illius, qui totum se ad quandam adversarium devincendum dedit, postulant adversarium in vita manere. 2. Flumina magna arripiunt multa saxa ac sordes, ingenia magna arripiunt stultos homines sordidosque mente. 3. Mendax mentitur solum aliis, sed homo ineptus (vulgo «phantasta») etiam sibi mentitur. 4. Qui se summittit, vult allevari. 5. Horribile est fatum vatis: summopere multos annos nititur, ut populo institutiones persuadeat, et cum res succedit, intelligit institutiones stultas fuisse. 6. Oratio ad hominem: Da veniam mihi, nam habeo virtutes. 7. Ne moriamur pro opinione, pro fide, potest illa falsa esse; sed moriamur pro libertate opinionum commutandarum. 8. Sunt, qui laudati fiant modesti, et sunt, qui impudentes fiant. 9. Risus necat iram melius. 10. «Fecisti» — dicit memoria. — «Non potui hoc facere.» — dicit superbia. Superbia vincit memoriam. 11. Qui se ipsum non obtulit pro reputatione? 12. Homo vulgaris non invidiae neque odio est. *Emericus Lipsitz disc. Debrecenensis.*

Al. Petöfi: Exequiis sonat cantus...

Latine reddidit *Iosephus Elöd* disc. Hatvaniensis.

*Exsequiis sonat cantus
 In sepulcrum quis ducendus?
 Tu iam terrae servus non es,
 Beatior me centies.*

*Fertur ante has fenestras,
 Quam multi fundunt lacrimas!
 Cur non feror illis ego,
 Lacrimaret saltem nemo!*



Pittacia imagine S.-i Stephani regis ornata.




RES FEMINEAE.

Quomodo puellae Germanicae coloniae fiant.

Scriptis *Elfrida Wedel* Berolinensis, convertit *Elisabetha Nagy dr.* Budapestinensis.

Populus totus Germaniae et ut coloniae ademptae sibi reddentur vehementissime cupit et ut manus fortes adulescentularum quam plurimas ita instruat, quae laboribus¹ primis¹ in coloniis idoneae fiant se coactum putat. Qua de causa est



Schola Colonialis.

aedificata schola colonialis puellarum in oppido septemtrionali Germaniae, nomine Rendsburg in Holsatia (Holstein), ut coloniis Germanicis aditricibus adulescentulae praediorum² locorumque consitorum³ darentur. Iam pridem optavi hanc officinam⁴ accuratius cognoscere. Tandem matutino tempore diei cuiusdam nebulosae Novembris relicto oppidulo Rendsburg advenio prope canallem de Guilermo imperatore nominatum ad aedificium⁵ latericium⁵ scholae colonialis magnum modernumque. Paulo post iam direttore *E. Körner* doctore ducē amabili omni ex parte perlustrare possum varietatem officinae.

Primum in domum maximam⁶ imus, ubi puellae se labori practico antemeridiano dant. Sus iugulatus⁷ erat⁷ et caterva hilaris puellarum nunc tomacula⁸ parat. Caterva alia cenam coquit. In opere⁹ lactario⁹ butyrum et casei parantur: puellae enim — ut doctrix mihi dicit — studiis finitis 16 genera caseorum perficere debent. Loco alio

caterva «tironum»,¹⁰ quae modo mense Octobri advenerunt (erudiuntur enim omnes semper singulos per annos), lintea¹¹ ferramento¹² levigat,¹² quae singulis diebus Lunae a caterva¹³ linteis¹³ lavandis¹³ lavantur. Nam puellae nulla lavandria¹⁴ lavandi causā domum mittunt. Postea in vestificinam¹⁵ advenimus. Longo ordine machinae¹⁶ sutoriae¹⁶, modernae et antiquae stant et puellae omnibus suere¹⁷ debent, nam ita in coloniis ad omnia aptae erunt.

Tempus antemeridianum — proh dolor — cito praeterit. Puellae, quae in horto laboraverunt, endromidibus¹⁸ vestitae, secures et batilla¹⁹ portantes, in domum redeunt, ut ante cenam lavatione²⁰ impluenti²⁰ utantur²⁰ vestesque mutent. Interea nos cubicula, cenatorium,²¹ exedram²² puellarum spectamus. Exedra amoenissima et clarissima est, apta ubi sollemni²³ saltatione²³ saltetur²³ et tempus vespertinum in societate iucundissime consumatur.

Mihi promissum est fore, ut post meridiem catervas omnium opificum²⁴ adire liceret, sed prius cenavimus. Ad cenam in «Klein-Windhuk»²⁵ sum invitata. Haec casa parva extremis in agris, quos schola colonialis possidet, quosque puellae — colonae futurae — aestate ipsae colunt, sita, a direttore, qui nunc huic scholae praest, aedificata est. Quam casam semper septenae puellae ad 6 hebdomades suscipiunt. Rerum peritissima est «domina»,²⁶ quae periculum²⁷ in²⁷ se²⁷ recipit²⁷ exempli²⁸ parvae officinae²⁸. Ipsae coquunt panes et liba²⁹ sua et omnia alia alimenta neque in conclavibus³⁰ communibus nisi lampadas petrolearias et focos simplicissimos habent, ut se omnibus modis ad vitam in coloniis agendam praeparent. Hospites plerumque in Windhuk collocantur, ut huic parvae laborum³¹ communitati³¹ periculum iustum imponatur. Etiam ego hic habitavi et omnia comoda optimaque erant. *(Finis sequetur.)*

¹ úttörő munka = Pionierarbeit = travail de pionnier ² farm = Farm = ferme ³ ültetvény = Plantage = plantation ⁴ üzem = Betrieb = exploitation ⁵ téglapület = Backsteinbau = édifice en briques ⁶ fő = Haupt = principal ⁷ ölni = schlachten = tuer ⁸ kolbász = Wurst = saucisse ⁹ tejgazdaság = Molkerei = laiterie ¹⁰ újonc = Neue = élève de la première année, bleue ¹¹ fehérnemű = Wäsche = linge ¹² vasalni = plätten = repasser ¹³ mosócsoport = Waschgruppe = groupe de blanchisseuses ¹⁴ szennyes = schmutzige Wäsche = linge sale ¹⁵ szabóműhely = Schneiderwerkstatt = atelier de couture ¹⁶ varrógép = Nähmaschine = machine à coudre ¹⁷ varrni = nähen = coudre ¹⁸ tréningruha = Trainingsanzug = costume d'entraînement ¹⁹ ásó = Schaufel = bêche ²⁰ zuhanyfürdőzni = sich abbrausen = prendre une douche ²¹ ebédlő = Eßraum = réfectoire ²² táncmulatságokat rendeznek = es finden Tanzfeste statt = organiser des bals ²³ iparos = Handwerk(er) = artisan ²⁴ «parvulum latibulum venti» ²⁵ háziasszony = Hausfrau = maîtresse de maison ²⁶ felelős vmiért = hat die Verantwortung für = être responsable de ²⁷ mintazüzem = Musterbetrieb = exploitation modèle ²⁸ sült tészta = Kuchen = gâteau ²⁹ szoba, helyiség = Raum = local ³⁰ munkaközösség = Arbeitskollektiv = communauté de travail

G. Gárdonyi: Sapientia in undis.

*In detrita cumba nautae senis
Sedentes docti sex dicunt Deum
Non esse, vulgus vero quam pium!
Tum cumba frangitur. «Si possitis,
Natae nunc» — eis dicit senex.
«Vae mi Deus!» — proclamant cuncti sex.
Vincentius Bors Szegediensis.*

LECTORIBUS MAIORIBUS.

Vivum Latinum.

Cursus sermonis Latini. Societas amicorum litterarum humanarum «Parthenon» cum societate professorum catholicorum Hungariae ineunte mense Februario cursus sermonis Latini habendos decreverat. Quos cursus moderandos Institutum Populo Erudiendo professori doctori *Francisco Turányi* (VIII., Horánszky-u. 11. Vörösmartyanum) commiserat. Cursus die 26. mensis Aprilis praesente ablegato societatum supra dictarum moderatore «Iuventutis» doctore *Iosepho Wagner* brevi examine clausi sunt. — In nomine auditorum, quorum natu maximus 83 annuum, minimus autem 15 annuum agebat, *Fridericus Pédenon*, functionarius legationis Francogallicae, amator fautorque linguae Latinae praestantissimus, verbis utique intimis gratias egit utrique professori pro cursibus institutis. Sperare se, ait illustris auditor, fore, ut cursus sequenti anno scholastico continentur. Pro tempore intercalari autem binis hebdomadibus conventum auditorum ad linguam Latinam exercendam proposuit. Quod propositum professor *Turányi* gaudio accepit gratias agens auditoribus suis pro amore, quem cursibus praestiterant. Demum dr. *Wagner* nonnulla verba faciens dixit ea, quae hic audivisset, sibi demonstravisse linguam Latinam non esse mortuam, sed vivam eamque immortalem. Deinde auditores perseverantissimi, *Michael Hoch*, discipulus gymnasii *Verbőczyani*, necnon domini *Fridericus Pédenon* et *Iulius Vozáry* et *Stephanus Jávor* libris Latinis donati sunt.

Programma certaminis poetici ab academia regia disciplinarum Nederlandica ex legato *Hoeufftiano* in annum **MCMXXXIX** indicti. De triginta quattuor carminibus ita est indicatum:

Praemium aureum reportavit *Carmen c. t. Y. Sumptibus Legati* in volumen recipientur carmina q. t. *Ara Pacis, Communia vitae et Vere Novo* (si poetae scidulae aperiendae dederint veniam).


Ad novum certamen cives et peregrini invitantur his legibus, ut carmina latina non ex alio sermone nec prius edita argumentive privati nec quinquaginta versibus breviora, nitide et ignota iudicibus manu scripta ante Kal. Ian. A. **MCMXXXIX** mittantur ad «het Bestuur der Koninklijke Nederlandsche Akademie van Wetenschappen, Trippenhuys, Amsterdam», munita sententia, item inscribenda scidulae obsignatae, quae nomen et domicilium poetae indicabit. Ceterum iudicibus gratum erit, si poetae in transcribendo portabile prelum britannicum (typewriter) adhibuerint, ac si, quemadmodum in editionibus poetarum fieri solet, sextum quemque versum numero insigniverint.

Praemium victoris erit nummus aureus quadringentorum florenorum. Carmen praemio ornatum sumptibus ex Legato faciendis typis describetur eique subiungetur alterum laude ornatum, si scidulae aperiendae venia dabitur. Id autem ante Kal. Iul. proximas fieri debet.

Exitus certaminis postremum in conventu Ordinis mense Aprilis pronuntiabitur, quo facto scidulae non in volumen receptis additae Vulcano tradentur. *P. Scholten* Ord. lit. acad. reg. ab actis. Amstelodami, die 1^o m. Aprilis A. **MCMXXXVIII**.

Librorum recensio.

Gyakorlati latin-magyar-német beszélgetések. Budapest. Aczél testvérek. Tertium edita prostant colloquia Hungarica eademque Germanica Latine reddita in taberna libraria fratrum Aczél. Libello praemissa grammatica declinationis et coniugationis adeo in artum contracta est, ut linguae Latinae plane rudibus nihil prosit, modice periti ea supersedeant. Collocutiones et sermones seruntur de lingua Latina, tempestate, theatro, valetudine, morte,



Discipulae lampades electricas perscrutantur (pag. 140).

aetate, somno, induendis vestibus, escis et potionibus, itinere, salutatione, re vehicularia, deversorio, re argentaria, obsonatu, servi conductione, anno. Colloquiis addita est magna proverbiorum litterarum ordine dispositarum copia. Pro exiguo libelli circuitu satis copiosa colloquiorum suppetit materia, sed quis est modus huiusmodi colloquiorum materiae? Fierine posse dicamus, ut huiusmodi collocutiones omnes vitae partes complectantur? Minime. Saepe enim usu venit, ut eas ipsas res, quibus indigemus, in his colloquiis quaerentes non reperiamus. Certe tamen ii, qui Latine non solum legere et scribere, sed etiam loqui velint, assidua exercitatione adhibita, magnam loquendi facultatem adipiscentur.

Colloquia ista sunt e peritissimo linguae Latinae scripta, sermo enim eorum est ut vere Latinae, purus et emendatus, ita modernae vitae, rebus et cogitatis Latine efferendis aptissimus. Nihilominus inveni quaedam, quae minus Latine sint, ut: p. 10: «Poterisne praedicere, quae temperies cras futura esset» pro: sit. P. 11: «Habesne horologium? Hic est. Rectius dicitur: «En horologium». P. 11: «Ez az óra siet. Hoc horologium tardius movetur». Non tardius, sed contra celerius movetur. P. 21: «Festina vestiendo». Festina nisi cum infinitivo non iungitur. P. 25: «Vecturari, quae statio sequitur nunc». Substantiva nisi sunt nomina propria, in *ius* desinentia non habent casum vocativum. P. 26: *plaustrum penarium* non significat *étkezőköcsi*; rectius dicitur, ut est in *Wagneri* dictionario *currus cenatorius*. P. 26: «*Mikor indul a bécsi hajó? Quando movetur navis Vindobonensis?*» Perperam versum est. Recte dicitur: «*Quando navis evehitur*», vel «*quando*

nave evehimur? P. 27: «Non te taedet, quod . . .» Taedet me: infinitivum regit. P. «Signum soluti pretii = postabélyeg», est praelongum pro tessera vel tessera epistolari.

Iste libellus in scholis horis subsicivis, si quae magistro suppetant, in sermone viva voce exercendo utiliter adhiberi potest.

«Der Bakteriumtöter Olbas dein Schutzengel in gesunden und kranken Tagen. Editio Latina» est inscriptus fasciculus, quem cum in manum sumpsissem, maxima cum admiratione vidi Latine esse scriptum et olei Basilei (per compendium dictum: olbas), remedii morborum variorum venditionem commendatricem continere. Ecquis igitur est, qui linguam Latinam non esse aptam ad modernae vitae res verbis efferendas infitias ire audeat? Quid est enim tam modernum, quam mercium venditatio commendatrix? Est autem huius remedii venditatio integerima latinitate conscripta. Atqui si huius remedii vis est tam efficax, quam est venditionis eius sermo purus, certe aegroti eo usi per brevi sanitatis compotes fient.

Erdős Tivadar. A modern nyelvek tanításának módszere Görögországban. Gyöngyös, 1938. Theodorus Erdős itinere annis 1933 et 1937 in Graeciam suscepto complures scholas Graecas praecipue linguarum docendarum viam et rationem cogniturus invisebat. Cum autem in gymnasiis Graecis ex vivis linguis sola Francogallica doceatur, huius linguae docendae artem et rationem summo studio et cura intentissima et ipsis doctoribus consultis persecutus est. Quae de ea re cognovit, haec sunt: linguam Franco-gallicam, quantum fieri potest, directa quidem, quam vocant, methodo non neglecta tamen accurata grammaticae cognitione prospero successu et eventu doceri. Nunc cum in nostris gymnasiis linguis modernis directa methodo docendis maior cura impendetur, linguas modernas docentibus artem et rationem Graecis doctoribus usurpatam, quam Erdős copiose exposuit, ad cognoscendum salutarem iudicaverim. Parte altera libelli iter tertium in Graecia vegetis pinguntur pigmentis. *Car. Acs* Budapestinensis.

Cantemus Latine! Tringata cantica Germanica Latine vertit Otto Schmied. Deutsch und lateinisch; mit Wörterverzeichnis. 48 Seiten, kartoniert RM. —80— Oesterreichischer Landesverlag (vormals Oesterr. Bundesverlag), Wien und Leipzig, 1938. — Otto Schmied, praeclarus auctor opusculorum *In veste Latina I—II., Fröhliches Latein I—III., Aenigmata Hellenika*, illustrisque censor aenigmatum *Iuventutis*, hac praefatione disserit de finibus canticorum prospere translatorum:

<i>Tringata cantilenas</i>	<i>Nequaquam detractare</i>
<i>Latine transtuli</i>	<i>Sermonem patrium,</i>
<i>Cum studio maiore,</i>	<i>Tirones adiuvare</i>
<i>Quo plus sunt cordi mi.</i>	<i>Induxi animum.</i>

Nunc quoque idem proficitur, quod operibus suis antea editis: Immortalem vitam inesse linguae Latinae. Eum, qui sese ista imbuerit, novos in alios exercere posse effectus. Linguam Latinam aptam esse ad horum quoque temporum cogitationes sensusque exprimendos et dignam, quae discrimine aetatum gentiumque superato omnes omnino colliget mentes humanas. — Canticis translatis, in quorum numero notissimae deliciae poëseos Germanicae adsunt (O Tannenbaum; Stille Nacht, heilige Nacht; Treue Liebe bis zum Grabe; Über allen Gipfeln ist Ruh, Prinz Eugen, der edle Ritter; Ich hatt' einen Kameraden), aptissime utentur illi praesertim magistri, qui utramque linguam docent discipulos suos. Libellus ante unionem adhuc Germaniae Austriaeque prelum reliquit. Qua de causa charta separatim imposita continet versiones Hymni Germanici et Carminis Horstii Wessel, quae tamen aliis inter-

pretibus debentur. Numeri modique canticorum servati sunt:

<i>Ut verba sint Latina,</i>	<i>Nam numeros et modos</i>
<i>Germanica est vis:</i>	<i>Intactos invenis.</i>

Adsit specimen omnibus numeris absolutum:

*O abies, o abies,
Quam es fideli fronde!
Aestivo vires tempore
Ac tum, cum ningit hieme.
O abies, o abies,
Quam es fideli fronde!*

Gratulamur de prospero eventu eximio propagatori *vivae* linguae Latinae!

Julius Kováts dr. Budapestinensis.

De re aenigmatica. (9)


Otto Schmied Vindobonensis.

Solutiones aenigmatum octavae partis.

44. in, certamina, deserta, as, nec, sto, arma, ed, redeo, aes, it, navis. 45. Si vis pacem, para bellum! 46. Dic, hospes, Sparta nos te hic vidisse iacentes, dum patriae sanctis legibus obsequimur. 47. Quadrupedante putrem sonitu quatit ungula campum. 48. ordo, mappa, natate, ig tur, avarus, potio, rota: Omnia pro patria!

Singularis et artificiosa species aenigmatum syllabicorum est illud, in quo posterior vel postrema syllaba vocis alicuius unā prior vel prima syllaba subsequentis vocis est, ut omnia vocabula in *modum catenae* inter se connexa sint vel in hoc aenigmate:

49. In modum catenae.



Nectendae sunt hae syllabae:
«ca, con, la, fur, sul» atque «ve»,
Ut binis fiant nomina,
Quae poscit haec sententia:

- 1—2. *Qui Romam gubernabat olim.*
- 2—3. *Quod ardet facile, id nolim.*
- 3—4. *Est instrumentum rustici,*
- 4—5. *Memento huius moniti!*
- 5—6. *Inflata vento navem agitant.*
- 6—1. *Ex iis est, qui Sparta habitant.*

Plane aliud est aenigma, in quo e vocibus, quae aut recto aut alphabetico ordine positae sunt, singulis *syllabis eligendis* sententia quaedam conicienda est.

50. *Ius bellicum.*
(syllabis eligendis)

«Nisi valent infantes, terrore ardere matres facile intelleges.»

*Cum e verbis his
Tibi legeris
Singulas tu syllabas,
Tum coniunge ita has,*

Ut sic dictum praemio
Tibi sit, quod Cicero
Quondam prodidit,
Ut nonnemo scit.

Series aenigmatum syllabiorum aenigmate absolvatur, in quo syllabis anteponeendis et vocabula sunt explenda et sententia quaedam estexquirenda.

51. Quod fors fert, fer!
(syllabis anteponeendis).

—rumna «Sollicitudo» vel «maestitia».
—diu Sic temporis requiris spatia.
—dulla In spina est vel osse alio.
—tio Est idem ac «commemoratio».
—gatus Indutus toga civis est Romanus.
—scisco Pro «fio certior» hoc usurpamus.
—sequa «Bubulcus» sic et nominatur.
—scius Scientiā non fatigatur.
—gilla Est figuli materies.
—meta «Virgulta» sunt vel «frutices».
—menus Boeotiae est fluvius.
—vilis Est talis: «servi proprius».
—nescit Quod est «tabescit» vel «extinguitur».
—tine Quod fac, si quid a te diligitur.
—dosa Est «vitiosa» talis res.
—pero Pro quo et «parco» adhibes.

Binas harum	Hiscē syllabis
Syllabarum	Antepositis
Comple tertiā,	Fit sententia
Ut vocabula	Tibi cognita
Tibi oriantur,	Ex Horatio
Sicut explicantur!	Prudentissimo.

Si syllabarum loco singulae tantum litterae sunt anteponeandae, simplex «acrostichum» existit vel hoc :

52. Acrostichum.

.olor	.urus
.rcus	
.estis	.aceo
.alus	.dere
.gere	.irus

Qui recte anteposuit — Initia :

Horatii huic fit — Sententia
(cf. in Juv. num. IV, aen. 4, num. V, aen. 5 !)

Scilicet item atque initiis etiam aliis singulis (vel compluribus) litteris splendidis aenigmata fieri possunt (cf. in «Juv.» num. I, aen. 4 !), quibus cunctis simillima sunt aenigmata, in quibus allatarum vocum sive primis sive interiectis litteris mutandis novae voces sunt reperiendae, ut litteris mutatis singulare vocabulum vel proverbium existat velut in hoc simplici aenigmate :

53. Initiis mutatis.

vanus, almus, facio, linus, arare, mutus, erigo.

Mutatis recte primis litteris
Sententiam Latinam invenis.

Naturā idem, sed implicatius est hoc aenigma :

54. Litteris mediis mutatis.

altus, amita, ardor, carta, lapsa, potus
Primo loces Ex sententia
Illas voces Hic apposita:

1. Quod sitientem reficit.
2. Est aliqua, quae cecidit.


3. Interdum est «volumen».
4. Effundit hoc et lumen.
5. «Excelsus» vox et similis.
6. Propinqua est amabilis.

Ac deinde medias Ut fiant nomina
Sic muta litteras, Ex hac sententia:

1. Est aliquid immobile.
2. «Affecta» haec est «vulnere».
3. «Imbuta pudicitia».
4. De hac desultat simia,
5. Quod neque tu es neque ego.
6. Et hoc pro «cara» saepe lego.

Postremo novae litterae
Declarant nomen feminae,
Sub quo poeta celebrabat,
Quam flagrantissime amabat.

Finis sequetur.



Censor aenigmatum : Otto Schmied Vindobonensis.

Solutiones aenigmatum numeri VIII.

1. Mater, pater, erudiet, ni, oriri, at, sus, ira, dei, avis, nemo, emit, mali, onus, mele, mel, dat, Tib, ns, carus, au, debitum, servo, amita ; mensa, te, ero, ruri, pira, aei, tt, ratio, dira, iuvenes, Aemilia, simul, delet, sis, nam, omnes, mari, ebura, dabo, tuta, ceu, sum, dr, mi.

2. ager, gero, Eros, rosa.

3. octo, cras, uvae, lupi, ipse.

4. Quidquid agis, prudenter agas et respice finem.

Aenigmata recte dissolverunt: I. In Hungaria: Tiburtius Szollár (*gymn. Acad.*), Paulus Tolnay Alexander Weber (*Scholae Piae*), Ladislaus Keleti, Egon Rosner, Georgius Lénárd (*gymn. IPEA*), Stephanus Székely (*Rákóczianum*), Martha Beregi, Martha Klein, Eva Beke, Susanna Zábrák (*Veresianum*), Ioannes Wolkóber (*Madachianum*), Maria Krivoss, Maria Harcz, Maria Dobbellof, Martha Kovács, Agnes Szakonyi, Eva Davida, Iuditha Angeli, Fedora Dietl, Vera Földváry, Hedviga Gyimesy, Esther Horváth, Gabriella Jantsits, Martha Károlyi, Helena Koltai, Agatha König, Alicia Kühne, Margaretha Lukáts, Erica Palkovits, Margaretha Rózsa, Maria Sárváry, Martha Stein, Aglaea Szemző, Eva Szendrey, Erica Tahy, Magdalena Tittelbach, Christiana Mantel, Valeria Vendl (*Sophianum*), Paulus Kristek (*Emericanum*) *Budapestinenses*. — Iulius Schwarcz *Gyöngyösiensis*, Rolandus Csapó, Ludovicus Lenkei, Andreas Szabó, Geysa Kaló, Stephanus Kis, Nicolaus Simon, Ludovicus Markovich, Ludovicus Magassy, Gabriel Gidáli, Eugenius Kakuk, Andreas Lénárt, Gustavus Vongrey, Dionysius Szentgyörgyi, Ladislaus Erdős, Andreas Mihalik *Agrienses* (*Bernardinum*), Alexius Csizsér, Eugenius Agoston, Adalbertus Király, Irene

et Helena Kirimi, Theresia Uznanski, Iosephus Langmár, Adalbertus Huszár, Ladislaus Garbaisz, Ioannes Tóbiás, Geysa Földes, Ioannes Vizi, Ioannes Karádi, Tiberius Balázs, Franciscus Közel, Iosephus Várhegyi, Ioannes Radványi, Paulus Daby, Iulius Turányi *Matthiaepolitani*, Eleutherius Radó, *Quinqueecclesiensis* (*gymn. Soc. Iesu*), Iosephus Kaptay *Tatanus*, Ladislaus Pintér *Sabariensis*. — II. In Germania: Ernestus Agler, Guilelmus Felbinger, Rudolphus Nemeš (*gymn. Acad.*), Herbertus Matiasch, Iosephus Spindler (*realgymn. Grillparzeriani*); Ilsa Sacher, Thea Schmied, dr. Guilelmus Fieber *Vindobonenses*. — III. In Helvetia: L. Helena Candolphi, T. Alicia Moretti *Locarnenses*.

Praemium sorte Marthae Beregi, Iudithae Angeli, Helenae Candolphi, Tiburtio Szollár, Ladislao Pintér, Eugenio Kakuk, Francisco Közel, Iosepho Spindler, Ioanni Wolkóber obvenit.

Liber qui inscribitur «A 10 éves magyar rádió» ab Societate Radiophonica Budapestinensi aenigmata solventibus praemio datus est.

1. *Quadratum magicum.*

	1.	2.	3.	4.	
1.					A. A A A
2.					C E E L
3.					L M M P
4.					P R R U

1. Est «palam» vox contraria.
2. Et haec est lupi femina.
3. Est bestia, quam metuis.
4. Circumdatum est insulis.

2. *Aequatio.*

$$(a-b) + (b-c) + (d-(b-c)) = x$$

- a. Pro «adulescens» sic et faris.
- b. Quid agis, si tu advocaris.
- c. Pro «hico» hoc nomen potes dicere.
- d. Quid per planitiem flat hieme?
- x. Aetatis pars est media.

Et una est pulcherrima.

E consilio

Petri Hanák, disc. gymn. Kaposvariensis.

3. *Ludus «Domino».*

VA	TVR	•	TI	DVS	PI	RE
SA	MVN	PAR	A	•	EN	GI

*Geminos hos lapides
Tali modo copules,
Fiat ut sententia,
Quam confirmat Genava.*

E consilio

Zoltani Pucher, Cisc. gymn. Archiepisc.

4. *Triplex actio.*

(ad supplendum.)

En, cenam . . . a. haec ancilla;

Cum advocatur, . . . e. illa;


Gallina autem . . . i. ovum;

Sic ter existit verbum novum. O. S.

Nota: Lectoribus minimis: 1, mediis (et maioribus): 2—4.

Terminus solutionum ad moderatorem mittendarum dies XXV mensis Maii.

Solutiones aenigmatum sumptibus comparcendi causā singulis in scholis a magistro collectae in eodem involucre epistulae ad moderatorem mitti possunt.



Corrigenda numeri 8 (Apr.): pag. 113: pro «annus CD» lege: annus CL; — pag. 116: pro «pretium non soluta» lege: pr. n. solutum; — pro: «solvendus erat» lege: solvendum erat; — pag. 117: pro «insurravit» lege: insurravit; — pag. 125: pro: «Kerényi existimatur» lege: K. existimat; — pag. 128: pro: «quid ui» lege: quid qui.

Multi urgent moderatorem sciscitando, quando opuscula edantur. Quamquam moderator semper operam dat, ut omnibus quam maxime satisfaciatur, tamen 1) quia socii laboris multo plus componunt, quam quae singulis in fasciculis collocari possunt, deinde 2) quia novitas rerum (vulgo: actualitas) semper praeferenda est scriptis, quorum iucunditas etiamsi non statim eduntur, non in periculo versatur; tum 3) quia varietas contentusque materiae suprema lex est, quae saepe impedit, quominus quaedam opuscula eodem in fasciculo sint; postea 4) quia discipulis non apta aut minus iucunda scribentes plerumque «oleum et laborem perdiderunt»; postremo 5) quia scripta professorum, quorum discipuli catervatim «Iuventutem» subnotant, in primis edi solebant, quem morem mutare neque qui nunc est moderator audeat: auctores opusculorum ad moderatorem missorum omni quae debetur reverentia orantur atque rogantur, ne «Iuventuti» irascantur, neve moderatori succenseant, si quaedam repudientur, alia diutius differantur. — Non edentur operum solutae orationis collegarum haec: 1. «Puerulus et vipera», quia narratio absurda est, 2. «Mendici Hispanici», quia non solum Hispani vituperantur, sed quia latinitas miserrima abundat mendis grammaticis, 3. «De stilo Horatii», quia commentatio perlonga et nimis difficilis est. — Contrahentur, ut edi possint haec: «De exemplis» et «Vita Buddhae». — Quia iocosa maxime a discipulis coluntur, quae P. Farkas, C. Ács, I. Guelmino, F. Gondán et Fr. Orlovsky in hoc genere scripserunt, tardius prodibunt. — Quia conspectus periodicorum mense Iunio edetur, recensione librorum anno 1938—39. ordine apparebunt. — Ceterorum opusculorum, quae Avenarius, C. Ács, V. Fehér, Ae. Láng, I. Guelmino, I. Jeney, Th. Philipps, I. Lis, St. Boros, D. Kövendi, O. Suszter, M. Jóbóru, A. Simon, H. Koehler, Flescarolus, G. Bellissima, I. Galambos, V. Kósa scripserunt, «omnium versatur urna serius-ocius sors exitura». — De opusculis solutis discipulorum proxime referam.

Sumptibus Societatis Magistrorum Catholicorum Mediarum Scholarum. — A Katolikus Középiskolai Tanáregyesület költségén.
(Praeses: DR. IOANNES KISPARTI, elnök.)